



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Qualis debeat esse vita sacerdotum, cap. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Prius tibi ostendere volo, qualis esse debeat vita sacerdotum digne conficientium.

CAPVT XXVI.

GLoria vitæ sacerdotalis in duobus præcipue consistit, castimonia videlicet & scientia: debet enim castus esse & literatus. Exemplum castimonie habes in Zacharia patre Ioannis, de quo Lucas sic ait: Et factum est, ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. Vicis suæ tempore, pontifices, templi tantum officijs mancipati, non solum à complexu vxorum, sed etiam à domo & ingressu abstinebant. Nostris autem sacerdotibus, à quibus non carnalis successio, sed spiritualis perfectio quæritur; qui quotidie præstò debent esse altari, perpetua castitas indicitur. Quòd verò literatus esse debeat, testis est Malachias, qui dicit: Angelus scientiarum est, & legem ex ore eius requirèt. Hinc est quòd Heli sedebat ante fores tabernaculi, ut responderet omni quærenti. Audi quid illiterato sacerdoti per Osee dicatur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. APOLLONIVS: Nunquid sacerdotes illiterati repellendi sunt à Domino? CAESARIUS: Non; sed quibus deest vsus scientiæ exterioris, habeant, ut prædictum est, lumbos præcinctos, & lucernas ardentes in manibus, id est, opera bona. Quòd si sibi commissos illuminare non valent verbo prædicationis, ad diuinum amorem illos accèdere studeant exemplo bonæ conuersationis. Introiens sacerdos ad altare, lauare debet faciem, os, & manus, id est, maculas cogitationis, locutionis, & operum, in labro aneo quod fecit Moyses ex speculis mulierum: Aqua est contritio, manutergium confessio, quod illa abluir, ista abstergit: Specula mulierum sunt exempla sanctarum animarum, fides scilicet Abrahæ, obedientia Isaac, lenitas Iacob, mansuetudo Moyse, humilitas Dauid, zelus Helix, pietas Iosif, castitas Danielis. In his si sacerdos se considerauit, facile cognoscet suam imperfectionem. APOLLONIVS: Qualis esse debeat conficiens, satis ostèdisti: nunc me

Sacerdotes quales esse debeant ut non indignè missæ celebrentur Casti.

Luc. 10

Docti.

Mala. 20

1. Reg. 14

Osee 4

Luc. 12

Exod. 38

expedias, in quibus consistat potentia conficiendi.
 CÆSARIUS: Quæ de his legi, vel audiui, paucis
 explicabo.

CAPVT XXVII.

*Necessa-
ria illi
qui debet
conficere
Eucha-
ristiam.*

TRia exiguntur in sacerdote vt possit conficere,
 ordo, verba, intentio, quartum est substantia
 panis & vini. APOLLONIUS: Quid si in calice
 post benedictionem panis, vinum per negligentiam
 non esset in calice? CÆSARIUS: Ex consuetudine
 ordinis nostri, cogimur credere ibi esse corpus Chri-
 sti, quia benedictionem panis non repetimus, sed ca-
 lices tantum. Simile sentio, si sacerdos post prolato-
 nem verborum illorum, Hoc est corpus meum, substi-
 teret, neque calicis benedictionem perficere posset.
 Magister Petrus Cator & sequaces eius, hoc non con-
 cedunt, dicentes; non posse fieri transubstantiatio-
 nem panis in corpus Christi, donec prolata sint hæc
 verba: Hic est sanguis, &c. quibus multi doctorum con-
 tradicere videntur in suis scriptis: similiter & verba
 Euangelica: prius Dominus panem benedixit, porri-
 gens illum discipulis ad manducandum, iam non pa-
 nem, sed corpus suum: postea quam cœnatum est, ali-
 quo intervallo interjecto, benedixit calicem. Quis
 dicere audeat, ibi non fuisse corpus CHRISTI nisi
 calice prius consecrato? nullus omnino. APOLLONIUS:
 Est ne in tali casu sanguis Christi? CÆSARIUS: Etiam,
 non in calice, sed in corpore: non enim corpus Christi
 est sine sanguine. Nec tamen inest per conuersionem,
 quia ante prolationem horum verborum, scilicet, Hic
 est sanguis meus, vinum non est conuersum in sangui-
 nem. APOLLONIUS: Da mihi exemplum quod sub spe-
 cie panis sit corpus Christi, antequam calix benedica-
 tur. CÆSARIUS: Superius cap. 2. habes exemplum in
 visione Godeschalci, qui mox prolatis his verbis, Hoc
 est corpus meum, vidit Christum in forma humana.
 APOLLONIUS: Si statim Christus est ibi totus, su-
 perfluè videtur mihi calix consecrari. CÆSARIUS: Sub
 duabus ergo speciebus celebrat hoc sacramentum ec-
 clesia, vt animæ & corporis susceptio in CHRISTO,
 &